

79 Disp. IV. Partit. I. an Deus & Angeli &c. 80

necessarium adiutare in Deo: nunquid enim intellectus diuinus potest comparare suam essentiam ad creaturam, ex qua comparatione resulteret relatio rationis? ergo ex illa cognitione diuina resultat ens rationis.

Secundus.

Secundus. Deus cognoscit entia rationis, ergo & facit. Responde Ruius, negando consequentiam. Sed instabat juxta communem opinionem de fabricatione entis rationis. Ens rationis nullum aliud esse habet, quam cognosci ab intellectu ipsius obiecti; ergo qui potest cognoscere ens rationis, potest & facere: sed secundum adiutorios, potest Deus illud cognoscere, ergo & facere; fundamentum enim cur negeni Deum posse efficere entia rationis, est, quia si Deus ea faceret, aliter cognosceret res, quam sunt: sed nunquid etiam haec ratio valaret contra ipsos concedentes Deum ea cognoscere? Si enim ea cognoscat, etiam si non faciat, semper dicetur cognoscere res aliter quam sunt.

Tertius.

Tertio. Distinguere ea, quae non sunt distincta, est facere ens rationis: sed Deus primum facit, ergo & secundum: primum quidem, quia distinguuit suam voluntatem a suo intellectu: suam justitiam a sua misericordia. Responde Ruius Deum illa distinguere quasi virtualiter & fundamentaliter, non vero actualiter. Verum sic isto, nunquid Deus actualiter cognoscit suam voluntatem non esse suum intellectum? suam justitiam non esse suam misericordiam? proindeq; distinguuit actualiter ea quae de se non sunt distincta? actualiter, inquam, actualitate rationis, quamvis non actualitate rei, ergo actualiter facit ens rationis.

*S. Thomas
videtur esse
pro nostra
refutatione.*

Quod si voluerimus trahere D. Thomam in nostram opinionem, eius de hac re manifestissimum testimonium adducemus *ex 1. p. q. 15. 4.2 ad 3. vbi sic ait.* Huiusmodi respectus quibus multiplicatur idæ, non causantur a rebus, sed ab intellectu Diuino comparante essentiam suam ad res. Vnde infertur, quod quandoquidem distinctio idæarum in Deo non est realis, sed tantummodo relatio rationis: ideo quia Deus (ex mente D. Th.) talem causat distinctionem, efficiet quoque ens rationis.

Rsp. Ruij.

Ruius respondet ad testimonium D. Th. nonque intelligi D. Th. de distinctione virtuali, non vero de actuali. Verumnam nullius momenti est dicta responsio; ex ipsa enim prefata doctrina D. Th. nihil noui dicere, immo foret ridicula; nam eti Deus nullo modo cogitaret de suis idæis, earumq; distinctione, non desinenter tamen distinguiri inter se virtualiter, & fundamentaliter: sicut licet non cognoscet, quod distinguuerit sua attributa, illi tamen non desinerent distinguiri inter se virtualiter, & fundamentaliter. D autem Thomas addit aliquid supra, & dicit quod multiplicatio idæarum sit ab intellectu Diuino, quod vocabulum, sit, importat actualitatem: de se enim & antequam accedat intellectus Diuinus, sunt virtualiter & fundamentaliter distinctæ, ergo adueniens intellectus Diuinus debet aliquid noui ponere, & certe nihil aliud quam actualiter distinctionem rationis. Meo quidem iudicio sylincerius loquerentur autores contrariae opinionis, negando actualitatem D. Th. quoad hoc, quam taliter glossando,

*Impunus.
mvr.*

Pro probatione alterius partis resolutionis, scilicet quod entia ficticia, oporeat aduertere communem doctrinam peccare in his, quod ideo denegat fabricam huiusmodi entium rationis ipsi Deo; Primo quia hoc poteret imperfectionem in Deo. Secundo quia Deus conciperet res aliter quam sunt.

Quare confitetur probata nostra Refolutio, si haec falsa esse ostenderimus, scilicet quod neq; est imperfectio in Deo neq; Deus cognoscet aliter res quam sunt, quod autem virtutemq; si fallum, probatur.

Primum quidem primo probatur: Nulla est imperfectio in potentia quod se extendat ad plura obiecta, immo potius est maxima perfectio: sed si concedamus Deo fabricationem entium rationis, etiam fictiorum, intellectus Diuinus se extendet ad plura, etiam vera & bona: nam sicut ens rationis est aliquo modo ens, ita etiam est aliquo modo verum & bonum. Quod si id denegemus Deo, ergo illud admittendum est. Conf. quod est perfectio in nostro intellectu, est quoque perfectio in intellectu Diuino: sed est perfectio in nostro intellectu, quod faciat entia rationis, ergo & erit perfectio in intellectu Diuino. Maior patet, minor probatur: si est imperfectio in nostro intellectu quod faciat entia rationis, potentia sensitiva, quae secundum communem doctrinam non faciunt entia rationis, erunt perfectiores nostro intellectu, at hoc non, ergo neque illud. Conf. quare enim potentia v. g. auditiva, non facit entia rationis, intellectus vero facit? nihil certè aliud potest responderi, nisi quia intellectus est potentia perfectior, quam auditiva.

Secundum quoq; probatur ex destructione fundamenti contrarie opinionis: si hoc enim decipitur, quod existimat, quod Deus conceperet entia rationis per modum entium realium: id enim non praefat, sed ea cognoscit ut sunt; & quia non sunt entia realia, ideo non illa apprehendit per modum entium realium; itaq; Deus ea iudicat non esse in rerum natura, sed tantum intelligit, ac si essent in rerum natura. Adde quod optimè retor queret argumentum contra ipsosmet, hunc in modum: Ideo dicunt Deum non posse facere entia rationis, quia tunc Deus cognoscet res aliter quam sunt: sed quod ab illis (tenent enim excepto Vasquez. Deum non facere quidem, bene tamen cognoscere entia rationis) dum Deus cognoscit entia rationis, cognoscit ea per modum entium, id est ac si essent, vel ac si non essent? si secundum, habeo intentionem; & ideo tunc non decipitur cognitio Diuina: si primum, ergo decipitur cognitio Diuina, fertur enim circa id quod non est, illudq; cognoscit ac si esset.

Ex his inferendum est, & quod Deus facere possit, atque à fortiori cognoscere entia rationis. Confirmaturq; resolutio quod virumque ens rationis: Deus id potest facere se solo, quod facit cum causis secundis efficientibus: sed nostro intellectus facit ens rationis, & Deus concurreat cum eo, ergo & se solo Deus id praefat potest. Maior & minor satis patet: ad quas tam respondeat Meurissius, qui licet admittat Deum

*Num. 1.
Probatur
quod nullo
efficiat imper
fectio in Deo
facere entia
rationis.*

*No modo
facit sed &
cognoscit
entia ratio
nes.*